



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.

DIE III. DECEMBRIS.



Roma, a. d. 8. *Novembr.* Tabula nuper ab Imperatore Rom. allata est, ad collegium, quod vacuefactas functiones sacras dispensare solet, * in qua is permittit, vt *Davia* nec non *Albano*, *Cardinalibus*, atque *Melino Abbati*, Dioceses in regionibus Neapolitanis, si quæ sint vacuefactæ, ex voluntate Pontificis maximi conferantur. Diebus his *Santinius* atque *Cavalierius*, nuntii Pontificii sunt nominati, quorum prior in Polonia, posterior autem Colonia Agrippinæ legationem obibit. Euulgatus nuper hic fuit libellus in caussa *Cardinalis Alberonii* scriptus, aulæque Pontificiæ multis modis iniurius, in cuius auctorem solicite iam inquiritur, Alberonius enim non modo suum esse negat, sed

etiam a quo sit editus, haud sibi constare constanter adseuerat.

* *Dataria dicitur id collegium.*

Ex Portu Liburno a. d. 7. *Novemb.* Qui hic apud nos habitant *Judæi*, litteras *Algeria* ab amicis suis a. d. 20. *Octobr.* scriptas acceperunt, quibus nuntiatur piratas eius loci non ita pridem cum 6. nauibus *Hollandicis*, vna *Portugallica* itemque *Genuensi*, quas in *Oceano* ceperunt, domum rediisse.

Parisis, a. d. 7. *Nou.* In ædibus, quæ *Legatis* hospitio excipiendis sunt destinatae, conclauia summa cura atque diligentia exornantur, ut legatus *Hispanicus Dux Ossuna*, quem post tres quatuorue dies expectamus, pro dignitate in eis habitare queat. Huic, non tantum sumtus omnes, quamdiu hic fuerit, a rege nostro suppeditabuntur, sed & corporis custodes 100. atque sic altero tanto

tanto plures, quam aliis legatis dari consueverunt, dabuntur.

Alia a. d. 14. Nou. Proxima die solis rex noster ad amphitheatrale se conferret spectaculum, in quo Phaëton produceretur in scenam. Postea in regiam ibitur, vbi Montpenseria Princeps, quæ Principi Asturiæ desponsata iam est, vltimum dictura vale saltationem solemnem instituet, atque mox dein itineri se tradet, Madrillum ad sponsum suum profectura. Ferunt habere eam inter patapherna pupam quandam, 2000. florenos constantem, tamque artificiose paratam, vt non incedat solum, sed & adstantes quosuis flexione genuum veneretur: hanc infanti Hispaniæ, futuræ reginæ nostræ, cum ad fines nostros accesserit, oblatum iri dicunt.

Olyssipone, a. d. 7. Octobr. Ante aliquot dies edictum in hac vrbe promulgatum, & pluribus locis publice adfixum est, quo omnes, cuiuscunque ordinis fuerint, homines, regi tradere iubentur statuas, numos, picturas, libros, tam manu exaratos, quam typis exscriptos, atque alia rerum antiquarum monumenta, quæ ad historiam Phœnicum, Græcorum, Romanorum, Gothorum, Arabum, & Maurorum, qui has olim terras imperio tenuere, illustrandam facere videntur. Præterea nunc regis iussu sedulo conquiruntur, quæ temporum illorum rationes, quibus Sebastianus Lusitaniæ rex, qui anno supra millesimum, & quingentesimum, septuagesimo octauo, in acie aduersus Mauros cecidit, aliquo modo exponunt, & grauis illi statuitur pœna, qui regis mandato minus obsequens, aliquid eorum retinere, & suppressere voluerit.

E portu Gaditano, a. d. 14. Octobris. Sommelsdykius, classis Belgicæ, quæ ad coercendos prædones maritimos in

mare exierat, præfectus, cum sex nauibus nudius tertius in hunc portum intrauit & nauem Gallicam, quam velocem adpellant, Algeriensibus ereptam, secum adduxit. Sine dubio autem, adsumtis, quibus præest, nauibus, futuro mense in Belgium renauigabit, & cum præpotentibus Belgii fœderati ordinibus inibit consilia, qua ratione piratarum deinceps excursionses reprimi, & naues ab illorum insidiis defendi queant.

Mantua Carpetanorum, a. d. 25. Octob. Rex noster cum omnibus aulæ proceribus Balsaino in palatium Scoriacense redux factus, tres dies impendit solemnitati, qua gaudium e connubio principis Asturiæ, & Montpenseriæ conceptum, publice testatum fecit. Stanhopius, cohortis Anglicæ præfectus, qui legati ex magna Britannia heic partes agit, cursorem cum litteris a rege scriptis Londinum misit. Joanni Ferdinando de Zopora, qui *Cancellaria*, vt vocant, Valli Soletensi hucusque adscriptus fuerat, episcopo insulæ Majoricæ euenit.

Haga comitum a. d. 11. Nouembr. Equidem Cadoganus, regis magnæ Britanniæ legatus, in eam adducere nititur sententiam summos Belgii fœderati ordines, vt propter pestilentiam, quæ multas in Gallia depopulatur prouincias, nihil amplius cum Gallis habeant commercii; sed quoniam Amstelodamensium præsertim delegati huic sententiæ maxime refragantur, haud facile, quæ postulat, obtinebit, nisi vis mali, quod Deus auertat! propius ad fines nostros adpropinquauerit. Interea instant cellissimi fœderati Belgii proceres, & postulant a Cadogano, vt sibi tandem aliquando pendatur pecunia, quam rex magnæ Britanniæ ex fœdere ipsis debeat; & quamuis Anglorum procuratores, rationibus ex vtraque parte subductis, Belgas in aere regis esse, clamitent, ob

non-

nondum persoluta stipendia, quæ tribus illi legionibus Scoticis promiserint, & multum præterea de pecunia Belgis debita detractum cupiant; contra jus fasque tamen hac ratione secum agi, liquido ostendunt, simulque Cadoganum rogant, ut quam primum, id conficiat negotium, quo finito, se non diutius tergiuersaturos esse, adfirmant, sed omnem potius daturus operam, ut tribus quoque Scotorum legionibus ex æsse satisfiat.

Alia ex eadem urbe. a. d. 12. Novemb. Heri Cadoganus, comes, præpotentibus Belgii fœderati ordinibus solemniter valedixit, & crastino die in Angliam, quorsum maximam sarcinarum partem præmisit, traiciet. Hompeschius summus copiarum dux, ad iter simili se ratione accinxit, Berolinum ad regem Prussiæ abiturus. Verschuer, baro, & viduæ principis Frisiæ summus aulae præfectus, Castellum Morinorum se contulit, ut, quemadmodum exequutus fuerit mandata principis, in ea vrbe exponeret. Quæ diu multumque propter hereditatem Arausionensem adhuc disceptata fuere, ad exitum nunc perducta sunt, & Frisiæ principem sibi vxorem destinare, ajunt, Prussiæ regis filiam, qua ratione futurum, existimant, ut vtraque gens, sublata dissidiorum causa, in amicitiam denuo coalescat.

Ex Heluctio. a. d. 5. Nouemb. Rustici Werdenbergenses, qui facta societate, numero mille, & quingenti coiuerant, non tantummodo armis, sed omnibus ad bellum necessariis rebus instructi, vltima prius experiri, quam de sua aliquantisper sententia decedere decreuerant. Propterea, quidquid habebant domi supellectilis, coaceruatum trans Rhenum miserant, ut si forte, tentata belli alea, minus ex voto res ceciderit, se cum suis quoque eo conferre possent.

Id cum animaduernerent Glaronenses, sumtis armis eos ad obsequium reducere constituerunt, auxilio tamen præceteris aduocauerunt ciues Fani S. Galli, & cum illi ad deliberandum tempus sibi poscerent, ad Tigurinos postmodo miserunt nuncios, qui eos ad communis belli societatem hortarentur. Illi autem non ita pridem litteras acceperunt a Werdenbergensibus rusticis, quibus illi se de violatæ fidei crimine magnopere purgarunt Tigurinis, simulque se arma protinus abiecturos polliciti sunt, dummodo Glaronenses in manus denuo illis tradiderint tabulas, quibus iura ac priuilegia sua continentur, ipsosque ab atrocitate & insolentia, quibus prouinciarum præsides huc vsque fuerint vsi, defenderint. Cum igitur & Glaronenses inuiti procefferint ad arma, Tigurini miserunt litteras ad Lucernenses, conuentumque Idibus Nouembris indixerunt, quo animos odio inimicitiaque inter se dissidentes denuo conciliare, & communi consilio publicam tranquillitatem ciuibus restituere adnitentur.

Francofurto ad Mœnum. a. d. 2. Nouem. His diebus Anglus quidam, in Italiam abiturus, hanc transiit urbem, qui propterea quod nomen edere noluit sciscitantibus, Robertus Knightius fuisse existimatur, quem Antuerpiæ haud ita pridem e custodia, qua detinebatur, elapsum, nuper commemorauimus.

Hamburgo. a. d. 11. Nouembr. Admodum fatalis fuit hesternus dies, Ranzouio, comiti, natu maiori, qui, dum vno comitatus pedissequo, hora, ante meridiem, octaua, ex arce Breitenburgo ad venandum exierat, glande plumbea e *bombarda maiore* (*) emissa ex equo, quo vehebatur, in terram prostratus, illico periit. Illius equus quinque accepit vulnera, & pedissequus in pede leuiter vulneratus fuit. Corpus comitis

exa-

exanime non nisi post aliquot horas ex agro, in quo morte occubuerat *corpes*, in arcem deductum fuit. Nemo autem adhuc in suspicionem perpetratae caedis venit, siquidem tantummodo in silua, vnde acciderat lethalis ictus, se duos vidisse refert pedisequus, ignotos sibi homines, quorum alter viridi, alter cinerea veste indutus fuerit, Id ceteroquin in propatulo est, continuis implicitum fuisse Ranzouium litibus, multoque habuisse sibi maleuolos, quam ob causam fieri omnino potuit, vt aliquis odio, iraque incensus, nefandum eiusmodi facinus perpetraret.

(*) *Mosqueton.*

Ex prouinciis, quas Albis inferior adluit 13. Nouembr. Petroburgo ex Ingria litteris accepimus, Imperatorem Russorum VI. Id. Octobr. festum celebrasse diem, quo anno supra millesimum, & septingentesimum, octauo, ingenti praelio deuicti a suis fuerint Sueci, quibus Loeuenhaubtius cum imperio praerat. Illo quoque die Sueci, superiore bello capti, accurate recensiti, nouisque ornati vestibus, quos imperator illis distribui iusserat, in libertatem restituti fuerunt. Jam tres instruuntur naues, quibus impositi, in patriam referri debent. Illis, qui *reformatorum* sacris addicti sunt, imperator Russorum permisit, vt Rigæ, in ipsa vrbe, sibi exstruerent templum, quod nullis olim precibus a Suecis obtinere potuerunt. Denique pacis Moscouitico-Suecicae, conditiones reliquas adicere visum est.

XXI. Vt regis etiam Magnae Britanniae solemnibus hac pacificatione rationes habeantur, non renuit Imperator Russorum, servata tamen sibi de iis, quae violenta intercesserunt, eo seorsim amice tamen transigendi libertate.

XXII. Vt, si quae etiam post constitutam pacem, inter vtramque gentem oborta fuerint dissidia, paci et amicitiae nihil derogent, quin potius per

arbitros vtrinque constituendos, mature componantur.

XXIII. Transfugae, homines malefici, alique facinorosi, simul ac requisiti fuerint, in manus iudicum tradantur.

XXIV. Pacis haec formula, nomine sigilloque paciscentium munita, inuicem permutetur.

Vienna, a. d. 29. Nou. Nudius abhinc tertius Imperator Augustissimus consilio sanctiori, in quo de rebus maximi momenti actum est, interfuit; pomeridianis vero horis multis praecipuae dignitatis viris sui conueniendi potestatem dedit. Solemnitas, quae die festo S. Apostoli atque Martyris Andreæ, quem Aurei velleris Equites Patronum venerantur institui solet, in diem lunae dilata est, eo quod die crastina, qua ea celebranda fuisset, annuam aduentus D. N. I. C. memoriam recolere incipiemus. Placuit vero Imperatori Augustissimo complures ex procerum numero summo huic die aduenire, quorum nomina primo quoque tempore in catalogo sumus exhibituri. Legionem Harrachianam, quae peditibus constat, quaeque in prouinciis Imperii adhuc morabatur, quotidie hic expectamus, quae secundis Danubii aquis in Hungariam hiematum concedet.

Posonii a. d. 3. Decemb. Hebdomade quae praeteriit, omni studio id egerunt inclyti R. H. *Status*, vt militis hyberna ex aequo constituerent: quo labore, vti par erat, confecto, in eo iam esse dicuntur, vt de summa *portionum*, cum Excell. Comite *ab Thürheim*, conuenire queant. Fama est, sexaginta *portionum*, vt vocant, millia, destinata iam esse, quae a Regno, surgente hoc anno pendantur; an vero ea acceptaturus sit idem Excell. Comes, sunt, qui dubitant. *Excellsa Commissio*, hodie secundo coiit, & scripta partis alterutrius, quae sibi sunt in negotio religionis oblata, accepit.